





DE MOSCOVIA

MOSCOVIA terra quadraginta miliaribus patens, Margento diues, tam ualido ubiq; præsidio conclusa, ut nedum aduenæ, uerum indigenæ etiam absq; literis ducis exire atq; intrare non possint. Plana omnino regio est, non montuosa, nemorosa tamen, & ut plurimum paludiosa, plurimis maximis fluminibus, Ocea, Volha, Dzuina, Borysthenesq; & Dineper irrigua, piscibus ob id & feris uarijs abundat, quæadmodum Lithuania, à qua non multum discrepat, nisi qd frigidior est, quia septentrionalior. Vnde pecora parua habet, & cõmuniter inutilia. Moscua metropolis regionis, duplo maior q̃ Praga Bohemiæ, lignea ut aliæ ciuitates ædificia habet, multas plateas, sed dispersas, latissimi campi interiacent. Mosca amnis ipsam interfecat, arx in medio urbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis, adeo pulchris & ualidis, ut similia uix reperiantur. Sedecim in ea arce ecclesiæ, quarum tres sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, & sancti Nicolai muratæ, ceteræ omnes lignæ.



AN
12345
6789
111
246

TABV. MODERNA

HUNGARIAE, POLONIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, & VALACHIAE.



LIVONIA ueræ fidei cultrix, Rutheniæ ad septentrionem prætenta, & ipsa Sarmaticis finibus, Tartari Scythicum hominum genus crebrius incurfant. Liouonianos ad Christi cultum milites nostri traxerunt, cum antea nullum nisi malorum daemonum nouerunt. Sepius uario euentu de regni possessione in ea terra bellatum. Sarmaticum mare ab occasu, sinusq; incompertæ magnitudinis, cuius ostium ab occidente est, non procul à Cymbrica Chersoneso, quæ Datiam hodie uocant, circa sinum ad septentrionem semiseræ gentes sunt, cum quibus nullum est linguæ commercium, nutu & signo permutant merces. Prussia, unde pruteni, terra hodie Germaniæ & Sarmatiæ particeps, à meridie illi occurrit. Eam terram si (Ptolemæus uerus autor est) Vistula perluit, à Torno oppido Gedanum usq; quo in loco Balthæo mari infunditur, ad Sarmaticum oceanum extenditur circa Vistulam, ultra Germaniæ est, ad orientem Solem & meridiem Masouitæ sunt, & Poloni accolunt, ad occidentem Saxones. Prussia solum ferax est maximeq; frugiferum, irriguum, frequens cultus, regio amœna, & pecoribus abundans, piscatus uenatioq; multa. Est Prussia atq; Lithuania cõtermina regiuncula, quæ Samogithia dicitur, syluis & fluminibus circumseptæ, quinquaginta miliarum longitudine, cuius gentes proceræ & pulchræ staturæ, agrestes tamen, moribusq; inculti. Matrimonia plura celebrant, & absq; sanguinis respectu, patre mortuo, filius nouerçam, fratre, frater gloriæ in uxorem accipit. Aes nullum habent, humiliter ædificant ex limo culmoq; tuguria, in carinarum aut galearum formam, in quorum culminibus fenestram unam faciunt, tam patientem, ut toti edificio lucem superne præbeat. Focus perpetuus in singulis unus, circa quem familia uniuersa sedens non solum ut cibos coquat uerum etiam ut frigus, quo pro maiori anni parte terra hæc congelata constrictaq; iacet, propellat.

